

## EXPERIMENTVM II.

**M**anifestant se antecedenti experimento visae partes sanguinis ulterius, in eodem ex venis extracto, quem si percolamus, primo per cribrum secedit aqua, et magna gelatinae copia in eodem relinquitur, quae si satis eluitur, pulverem demittit rubicundum, qui ignis flammae demandatus, refinarum more micat et crepitat.

## EXPOSITIO.

**I**n praesenti experimento adhuc clarius exhibemus sanguinis ratione suarum partium naturam atque indolem, uberiolem vero hujus rei demonstrationem nemo facile a nobis expectabit. Neque quoque eandem adeo utilem ac necessariam judicamus, ideo, quia reliquae partes sanguineae minus manifestae summopere variant, pro diversitate temperamentorum, aetatis, sexus, nutrimenti aliarumque circumstantiarum. Nam hic notabilis est observatio *Loweri Tr. de corde* in juvene quodam vulnerato instituta, qui cum magnam sanguinis copiam per biduum continuo effunderet, jusculisque interea temporis reficeretur, tandem sanguine prope exhaustus, loco deficientis sanguinis, juscula fere pura per vulnus reddidit, et quiescente demum fluxione hac diluta et aqvea, sanitati paulatim restitutus, vir robustus atque quadratus evasit.

B

EXPE-